



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 47. Hungariæ Regis bellum adversus Imperatorem

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV. libertatem assereret, & si ab eo læsus es-  
A. C. 1485. set, animi sui magnitudinem, quam to-  
 ties egregiis clementiæ exemplis ostendisset, itidem erga Præsulem exhiberet: si vero illum læsæ Majestatis reum severitati legum subjici vellet, illius causam ad Apostolicum tribunal devolveret, cum nefas esset apud laicum Judicem Archiepiscopum in judicium vocari. Hæc Pontificis Epistola data est die sexta Martii, quæ tamen omni penitus effectu caruit.

## §. XLVII.

*Hungariæ Regis bellum adversus Imperatorem.*

*Bonfin. ibid.* *l. 6.* Hoc anno Matthias solennes conventus Budæ celebravit, atque in illis plures, easque saluberrimas leges condidit, quibus inprimis litigantium effugiationem ac litium protelationes, singularia certamina, aliosque abusus tollere satagebat; verum potissimas eo curas intendit Matthias, ut superiorem quoque Austriam sibi subjiceret; hunc in finem, alio conventu Iglavæ in Moravia coacto amicitiae foedus cum Wladislao Bohemiæ Rege antea in initum confirmavit. Tum in Austriam movit, ac triplici Hungarorum, Bohemorum, & Rascianorum stipatus exercitu, Imperatori complures, easque munitissimas urbes ademit; in Styriam etiam irru-

irruptione facta, vicina oppida subegit, Sæcul. XV. A.C. 1486.  
 denique ut Cæsaris vires magis distrahe-  
 ret, cum Carolo VIII. Galliarum Rege,  
 qui Maximilianum Austriacum Fride-  
 ricus Imperatoris Filium plusquam vati-  
 niano odio infectabatur, armorum socie-  
 tatem iniit.

§. XLVIII.

*Tumultus in Regno Granatæ.*

Equidem Germania variis tumultibus  
 graviter jactata lugebat; ast haud paca-  
 tior tranquillitatis aura Granatensi Regno  
 adspirabat: cum enim Patruus adolescen-  
 tis Regis ægerrime ferret, quod Nepos  
 ejus non modo solii æmulus, sed etiam  
 socius foret, clam cum nonnullis Alfa-  
 chensibus ex Almeria (ita legis Maho-  
 metanæ Doctores appellitabant) consilia  
 agitabat, illosque promissorum amplitu-  
 dine induxit, ut ipsum concubia nocte in  
 urbem admitterent, darentque operam,  
 ut capto, occisoque ejus Nepote simul  
 intestino bello finem imponere possent.  
 Verum clandestinis hisce consiliis secre-  
 ti fides defuit; juvenis enim Rex de ho-  
 rum perfidia monitus, tanto terrore per-  
 cussus est, ut pro tuenda Almeriensi urbe  
 imperia dare negligeret, & nequidem  
 fratrem suum, suæque factionis præci-  
 pios, ut & ipsi salutis suæ consulere-  
 nt,

*Marian. hist.  
 Hisp. l. 25.  
 c. 9.*